

Ill^{me} et Rev^{me} Domine,

Mea in Italiam migratio fecit, ut quas Ill^{ma} D^{io} V. superiori
mense ad me humanissimas dedit, tardius mihi redderentur. Et quo-
niam sibi aliisque patronis meis gratissimum futurum significat, si
5 me coram frui possent, id autem hoc tempore res non sinit, annitar
ut literis saltem affectui vestro obsequar. Ac principio narrare
quiddam volo, quod atrocitate sua nonnullam in nobis admirationem
commovere queat, adeoque non omni prorsus iucunditate vacet, cùm
Admirari iucundum esse Philosophus doceat. Tertia die huius mensis
10 venit quidam, de quo quis et unde sit, non constat, nisi quod Trans-
alpinus homo visus fuit, ad amicum quemdam meum, notissimae nobili-
tatis virum, a Venetis propter usum armorum prohibitorum sui adver-
sus insidiatores muniendi causa adversus edictum gestatorum ex uni-
verso ipsorum dominio proscriptum et bonis mulctatum, qui nunc Me-
15 diolani commoratur, et cùm adhuc in conducto habitarem, mihi inno-
tuit. Cum eo agere coepit is, de quo sermonem institui, eumque ad
caedem meam proposito bis mille et quingentorum aureorum praemio,
Florentiae, Genuae, Brixiae, Venetiis, aut ubicumque vellet, a mercato-
ribus numerando impellere. Cohorruit ille non meum magis, quam su-
20 um periculum pertimescens, quod nonnullis eiusmodi operam negasse
fraudi fuisse necisque causam dedisse recordaretur. Utcumque tamen
dissimulavit, et sibi non tam voluntatem patrandi facinoris, quàm
copiam sive perficiendi oportunitatem deesse ostendit. Ibi alter
expeditissimam demonstravit rationem sibi videri, si veneno res ge-
25 ratur: ac ne ulla religione à facinore deterreretur, me haereticum
deploratissimum esse, eaque causa exulem vagari magnopere ei persua-
dere conatus est. Convenit tandem inter eos, ut a.d. 24 huius men-
sis denuò conveniant, et, si amicus ille meus velit, de ratione pa-
trandae rei deque praemio transigant. Se nunc ad Pedemontanos ex
30 negotiis concedere, et ad constitutum adfore ille caedis meae pro-
curator certo affirmavit. Digresso illo amicus ille, quem multi hic

/ iamdiu familiariter norunt et fidem eius probant, utrique nostrum non mediocriter metuens, tandem rem omnem mihi exposuit, non sine lacrimis, quas haud scio utrius periculum magis ipsi expresserit. Securum tamen esse iussi, fidemque dedi, non commissurum me, ut ne-
5 gotio ad magistratus delato aut alioqui vulgato ipse periculum ad-
eat: posse ipsum, si sic videatur, latroni illi respondere, re probe considerata non se reperire, quomodo tantum facinus in hominem nobili genere natum cadere possit. Atque hoc modo crastina die ei respondere decrevit.

10 Ego nihilominus rem prius cum confessario, tum etiam cum Ill^{mo} Cardinali Borromaeo statim communicavi, qui postquam me per Dei gratiam non modo periculi metu nullam in partem commoveri, sed ultrò etiam gaudere, et de tanto hostium Ecclesiae erga me odio, tanquam minimè vulgari divinae gratiae argumento mihi gratulari cognovit
15 (non erat autem ei dubium, quin Angliae rex me ad caedem expecteret, quod mihi vel ex eo statim in mentem venit, quod paulo antequam Augusta decederem, Anglici apud Venetos Oratoris Secretarius illuc venit, cum D. Marco Velsero, quod meos adversus regem libros Augustae typis excudi permisisset, expostulaturus, qui etiam miro
20 se mei videndi desiderio teneri ostendit, utrum autem à me manus continere posset, scire se negavit) facile quidem animum ei meum probavi, sed censuit tamen ille, rem totam Sanctissimo D.N. aperiendam esse. Sed ego vel propterea illo supersedendum duxi, ne fortassis aliter Romae res acciperetur, ut suspicionibus indulgere homi-
25 nes solemus. Verum hesternae vesperae literae Velseri nostri die 11. Ian. datae mihi sunt redditae, et una exemplar epistolae, quam Ca-
zaubonus regis Angliae Apollo adversus me edidit, brevissimam quidem, sed ita rabiosam, ut nunquam ne à Iosepho quidem Burdone quicquam simile fuerit editum. - Epistola data est mense Augusto,
30 sed demum post meum e Germania excessum edita, postquam nempe opinio fuit, rem interea confectam meque de medio sublatum esse. -

/ Ait regem Iacobum obiter inspectis paucis libri mei pagellis ita locutum esse: Omittamus palam furem, neque enim meretur, qui talia scribit, ut ulla vel minima ipsius habeatur ratio. Medicina miser opus habet, sed violenta.

5

Addit Cazaubonus: Simul infames libellos abjiciens, **conspecta** suo posthac se quicquam unquam fore dignaturum negavit, quod ab illa Styge et mendaciorum cloaca esset profectum.

10 Cogitet nunc Ill^{ma} D^{io} V. quae sit violenta illa medicina, qua morbum meum curare cogitat, quem etiam sectione, non incantatione curari posse indicat. Ego quidem iam de veritate eorum, quae mihi aliquot ante allatas Velseri literas diebus ita, ut exposui, renunciata fuerant, nullum omnino dubium habeo, prorsusque mihi persuadeo, nulli sumptui parsurum Oratorem regis apud Venetos, ut percussore aut venefico subornato me de medio tollat. Amicus ille, quem dixi, non dubitat quicquam, quin ille, qui secum egerat, non nisi dimidiam praemii à regio Oratore promissi partem sibi obtulerit. Id enim solere fieri ab istiusmodi caedium parariis seu sensalibus, 15 qui vulgò vocantur. Non facile mihi Ill^{ma} D. V. crediderit, quàm animo recreer, cum spem concipio fore, ut Deus tali morte ob susceptam fidei et Ecclesiasticae potestatis causam illata simul omnia mea peccata velit expungere. Sed quoniam meritò vereor (ut haereticorum mores pernovi) ne si sic obeam, praesertim toxico sublatus, 20 haeretici me ab Italis, tanquam de Lutheranismò suspectum, sublatum esse mentiantur, aut etiam alii sive à profitenda fide Catholica, sive ab Ecclesiae iurisdictione adversus haereticos et Machiavellaeos tuenda casu meo deterreantur: propterea constitutum habeo, rem totam scripto vulgare, et regis verba à Cazaubono recitata in- 30 terpretari, eique veneficii et latrocinii probabilem saltem dicam impingere, simul etiam quàm omnino nihil pro Summi Pontificis doc-

/ trina et potestate, sica aut toxico regis necari, et libros meos
sanguine meo obsignare dubitem, profiteri. Hoc meum tumultuarium ac
velut sub manu natum est consilium, quod ab Ill^{ma} D.V. probari mag-
nopere gaudebo, quam etiam rogo, ut a Sanctitate Sua Apostolicam
5 benedictionem mihi impetrare, simulque me suis precibus adiuvere
velit, ut de me faciat Deus, quod suae gloriae ac saluti animae
meae novit conducturum. Ego vicissim omnem Ill^{mae} D.V. incolumita-
tem à Deo precor, eiusque cultum et amorem ne in qualicumque qui-
dem morte depositurum me profiteor. Mediolani festinanter a.d.23
10 Ianuarii anni 1613.

Ill^{mae} D^{is} V.

Amantissimus et observantissimus

G. Scioppius.

Ill^{mo} et Rev^{mo} D^{no}, D.Roberto Cardinali Bellarmino, patrono suo
15 perpetuum observando. (cachet de Sc.)
Romam.

München, Reichsarchiv. Jesuitica in genere, Fasc.19.Nr.326. Origin.
(Réponse 8 févr.)